

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vocalis prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

*Ab quantum
tamen su-
spicere.*

eam afferunt causam, cur Ibes salutis simulachrum esent, quod ex Arabia in Aegyptum volent alatae Serpens, quibuscum Ibes certamen ineunt, Aegyptiosque ab eorum injuria defendunt. Earum vero Serpentum alas minime pennatae perhibentur, sed Vespertilionum alas perquam similes, glabra subtilique membrana quadam insigne. Nota est historia, quemadmodum Moses florente iam aetate, ut Josephus memorie prodidit, Aegyptiorum copiis aduersus Aethiopas hostes infestissimos profecturis, dux a Pharaone, ita oraculo premonente, electus, quia is per loca magna vi Serpentum occupata ducturus erat, vim Ibidum ingentem papyraceis instrumentis in arcum speciem contextis inclusus, in columinemque ita exercitum earum alitum ope praesidioque ad hostes traxerit.

MALUM EX BONIS INITIIS SUBSECUTUM.

CAP. XXI.

PERniciem aliquam ex institutis optimis fanoque consilio subsecutam, Aegyptii significare si voluissent, Ibin & Basiliscum facere confuerunt: siquidem ex Ibis *Ortu Basili-* dis ovo Basiliscum nasci plerique veterum tradiderunt. Causamque infuserat Philosopha afferunt, quod avis ea multivora sit, & Serpentum veneranturunque genus omne abliguriat, quorum virulenta putredine ova ipsa prædicta, animal id perniciosum efficiant. Aegyptii sane cum Ibin alioquin egregie colant, ova tamen ejus ne quid tale progeneretur, inventa frangunt.

INEFFICACIA VOTI.

CAP. XXII.

DEsidem ac adeo enervatum hominem, ut nulla in re sibi sufficere possit, frustraque omnia tentet & aggrediatur, neque ullius rei compos per summam ignaviam evadat, hieroglyphicè significare si vellent, Crocodilum Ibridis pennam in capite gestantem effingebant: compertum enim est, animal id ad rapinam & impetum alioqui promptissimum, si penna Ibridis demulceatur, ita obtorpedine ac debilitari, ut immobilis reddatur, omnem pristinæ rapacitatis violentiam obliviscatur, tamquam aliqua fascinatione sit repente demutatus. Quintianus Serpentum genus omne reddi immobile, penna hujusmodi ipsis injecta, ex Democrito tradit Florentinus libro de re rustica.

VOCALIS PRIMA. CAP. XXIII.

ERAT & Ibis avis prima literæ symbolum: siquidem Plutarchus ait Mercurium, qui primus literas Aegyptiis communicavit, Ibin primam esse literam voluisse. Sedenim ipsa quoque literarum elementa non apud Aegyptios tantum, sed etiam apud Gracos Romanosque hieroglyphicum aliquid habuere: ut, a iudicium erat absolutionis, c condemnationis, n. vero & i., comperenditoris, per quamnon liquere significabant. Universi enim judices, ut Pedianus ait, in cistam tabellas simul conjiciebant suas, singularibus literis signatas. Interdum etiam sententiam suam cur quis dannaret, aut cur absolveret, prescribere confuerant.

DE

